

cf. VII² 284

M

[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]

PROFEC TOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GOTTLIEB
VVERNSDORFIVS

S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. TEM
 PLI OO. SS. AD ARCEM PRAEPOSITVS ET SAXO ELECTO
 RALIS CONSISTORII ECCLESIAST. ASSESSOR

CIVIBVS ACADEMICIS
 S. P. D

[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]



07

Miseret nos tot honestissimorum, innocen-
tissimorumque, liberorum, qui cum planctu,
ac gemitu, ante oculos obuersantur, et Matre
carissima iamdiu, nuper etiam optimo Patre orbatu,
unum calamitatis domesticae perfrugium, quod afflic-
tis familiae rebus ANNAE prudentia, religioque
praebuerat, nunc amittunt. Male audit uulgo nouer-
cae nomen, conspirantibus fere gentium suffragiis
doli, ac malae fidei, suspectum, antiquitatis etiam e-
ruditae, quae mores hominum ex uitae usu sagacius
exprimit, iudicio increpitum, adeo ut nouercae in ue-
terum monumentis impiae, crudeles, iniustae, scelera-
tae, dirae, aliaeque uerborum ignominia notentur, quasi
nihil tam male cogitari possit, quin optime de nouer-
ca dicatur. Vipera nihilo mitiorem Euripides, nullum
malum nouerca maius praedicat Menander. At, in
Latio, Maro, Naso, Iuuenalis, ueneficii, et parricidii,
accusant, proinde atque hoc inter matrem, nouercam-
que, interfit, quod illa det, haec autem adimat, uitam.
Ipsam quidem naturam, quam uocant, non fautricem,
sinistram, maleficam, ipsam quoque fortunam aduer-
sam, cum licentius inculant, nouercam appellant. Ita-
que in prouerbii consuetudinem abiit uouercale odi-
um, et nouercales stimuli historicis maxime noti per-
inde sunt, atque infames. Quos ut obtunderet Charon-
das legem Sybaritis primam tulisse fertur, ut, qui liberis
addidisset nouercam, a publico patriae consilio remo-
ueretur, ratus, ut ait Diodorus, nunquam bene con-
sulturum reipublicae, qui liberis, nouerca adducta, tam
male consulisset. Sic odium nouercae, ut est in sapien-
tia mythica, irritato Theseo, Hippolytum, curru profur-
gam equis distraxit, Tenem, commoto Cygno, fluctibus
maritimis obiecit, Timasionem Aegyptium, patria Nau-
crate fugatum, Memphin, ne ab instigato patre interi-
ret, egit, atque, ut maiori fide traditur, odium Luiae Dru-
sum, et Agrippinam, Agrippinae etiam, Britannicum
extinxit. Quamobrem Callimachus ille, ut doceret, nihil usquam
ab insectatione nouercarum esse tutum, uenusto epigrammate
commen-

commentus est priuignum, statuentem in sepulchro nouercae colu-
mnam, eamque fertis cingentem, ut mulieris, sibi antehac infensae,
manes placaret, sed praecipiti statuae ruina mox oppressum. Hinc
alii ad nouercae tumulum flere maluerunt, quod tamen consuetu-
dine dicendi in eam acceptum est sententiam, ut fictas ex simulato
dolore lacrimas, abditumque gaudium, quod capiat ex obitu no-
uercae, indicaret. Est certe saepenumero nouercarum, quae stirpem
ex priori marito alunt, tam malus, prauusque, animus, ut his uitium
indolis exprobrare possit gallina, quae pullos, ab alia exclusos, quibus
que nullam fidem addixit, recipit tamen adhuc tenellos in gregem
suum, deducit, inuitat ad pastum, defendit a ui, ac fouet. Tam-
corruptum mulieris, ambitiosae in primis, et impotentis, ingeni-
um commotione animi accenditur, et incitatur, idque hoc faci-
lius, atque acrius, quo uerius de multis, in mimis, pronuncia-
tur, feminam aut amare, aut odisse, tertium nihil esse. Qua-
re uti, natura duce, sanguinem suum amat, et, quod ex se ge-
nitum est, plurimi uult fieri, sic, quicquid huic aut obest, aut ob-
esse possit, facile odit. Nam cum amori, quo in foetum suum fer-
tur, suspicionique modum non statuatur, non solum aegre fert, con-
temni progeniem suam, sed etiam, posse, alterius sanguinis studio,
aliquando contemni, cumque a paterno sensu, quem naturae im-
petus, ratioque, in liberos inclinatur, sibi timeatur, tum demum sibi
prospicere uidetur, si aut amorem funditus ex animo patris deleat,
aut certe usque eo minuat, ut nihil aeque, ac sanguis suus, ametur.
Nouercalibus his delinimentis occurrunt Leges, cum tantam illorum
uim agnoscant, ut mariti, iis capti, iudicium contra sanguinem
suum ferre, et filios exheredare, cogantur. Nec uero nonnunquam
culpa uacant priuigni, ac priuignae, et hoc minus colunt no-
uercae, quod aut his, ex praecudicata opinione, diffidunt, aut qui-
bus uitam non referunt acceptam, quasque, patre mortuo, se dere-
licturas credunt, his multum honoris deberi non existimant, aut
iniquius ferunt, eas in paternae fortunae partem uenire, quae
bona, muliebribus blanditiis patri detracta, sibi, suisque, sepo-
nant, et uel mortuae suis relinquunt liberis, uel, defuncto prius pa-
tre, auferant secum. Ita uero patres, his anxii curis, de secundis
nuptiis saepe multumque dubitant, aut liberis mature cauent, sae-
pe alii, qui nouercarum sensum pulchrius callent, familiae, nouer-
ca auctae, bene precantur. Ab hac seculi corruptela quod sibi me-
tueret, non habuit IOANNES HIERONYMVS DE VEDIG,
facerdos, quoad uixit, summa et animi sanctitate, et bene de coetu
sacro merendi diligentia, cum ANNAM et sibi uxorem coniun-
ctissimam,

ctissimam, et stirpi suae non nouercam, sed, ut rei euentu cōpro-
batum est, piam, indulgentissimamque, matrem delegit. Haecce-
nim A. CIO DCC LIX, III Kalendas Octobres, S. A. M. V. E. E.
P. O. M. A. R. I. O, Theologo fidei, rebus aduentis probatae,
et, post varias munerum, fortunaeque, uices, Antistite Lu-
becensi, ac DOROTHEA, Reusneriae gentis ornamento,
Magdeburgi prognata, sedati moris exemplum ex ipsa parentum
consuetudine, disciplinaque, sumfit, et cum Patre, cui Pannonia
excedendum fuit, in exilium pulso, complurium erroribus anno-
rum, non sine praesenti uitae discrimine, sic circumacta est, ut ad
bene agendi rationem ipsa casuum uarietate erudiretur. Cuius
quidem uirtutis, quae late patuit, fructum tulit FABRICIANVM,
quod hic A. CIO DCC LXXIV, VI K. Nouembres initum est, connubium,
quo ABRAAMVS SAMVEL, IO. SAMVEL, ANDREAS SAMVEL, IO
ANNA DOROTHEA, extiterunt, uno tamen ex his adhuc su-
persite, Andrea Samuele, qui Lauream Philosophicam, quam na-
ctus est, emendatis moribus, praecleara industria, nec mediocri do-
ctrina, ornat. Etenim documentum integerrimae matris dedit, et
liberos sancte, liberaliterque, instituit, ac, ne quod maternae curae
munus praetermitteretur, summa ope prouidit. Quae quidem
uirtus in Vedigiano, quod A. CIO DCC VIII, VI Kal. Maius, coaluit,
matrimonio nihil defecit, adeoque se extulit, ut, cum duae stirpes
in foedus unius domus coirent, exaequata utrinque et caritate, et
cura, unius matris pietate unius familiae obsequium, sine offensa
querimoniaque, regeretur. Hic ne qua nouercae fraus, ne qua be-
neuolentiae simulatio, aut ullius spes quaestus affuisse uideretur, e-
lato iam marito, confectis moerore liberis, neque consilio, neque
opera, neque ulla re, defuit, ut illi patrem quidem in solitudine at-
que orbitate, matrem autem in mitis, sanctaeque, nouercae subsi-
dio nunquam, desiderarent. Quare pari moestitia complorant o-
bitum liberi, a quibus communi uoluntate, studioque, mater,
quarto et quinquagesimo, quem medium fere confecit, aetatis an-
no discessit, morbo quidem, qui ex desiderio mariti contractus e-
rat, tam pertinax, ut exquisita ceteroqui peritia Doctoris Medici,
Christiani Vateri, nihil hic ualeret, oppressa, sed animo diuini ora-
culis, quae exposuerat Vir, doctrina, uitaque sanctus, M. Augustus
Vollsius, sic erecto, ut nullum metus indicium uel uultu, uel uoce,
extaret. Vos, CIVES, Matronae commendatissimae supremis, qui
exequiis parantur, honoribus adeste, finusque hodierno die, abho-
ra postmeridiana I, in Aedem Marianam ducendum, frequentem
comitatu stipate. P. P. Pridie Nonas Aprileis, 1708
A. R. G. CIO DCC XLVIII

Ung VI 3

W 18
V 17



cf. VII. 2. 284

M



DIRECTOR
 E VITEMBERGENSIS
T L I E B
NSDORFIVS
 EIVSDEMQUE PROF. PVBL. TEM
 M PRAEPOSITVS ET SAXO ELECTO
 TORII ECCLESIAST. ASSESSOR
 ACADEMICIS
 S P D

